Curae Vergilianae.

Additae sunt Gustavi Linker emendationes Vergilianae.

Adparatus criticus carminum Vergilianorum nuper auctus est tribus codicibus inventis, quorum unus, codex Pragensis[1]) haud contemnendus est, alter, codex Oenopontinus[2]) et tertius, codex Daventriensis,[3]) Pragensi multo sunt viliores et ad textum quem vocant Vergili constituendum inutiles; quamquam Vitringa complures codicis Daventriensis lectiones dedita opera commendavit.[4]) Quarum lectionum profecto primo adspectu nonnullae non improbandae videntur esse, sed accuratius contemplanti nihil aliud sunt, nisi mutationes librarii, qui non alienus fuit a litteris. Is igitur, ut exemplum adferam, Aen. II 230 *fremunt* pro vulgata lectione *ferunt* scripsit, quam lectionem iudicat Vitringa esse meliorem et antiquiorem.

---

[1]) cf. Johann Kvičala, Vergilstudien nebst einer Collation der Prager Handschrift, Prag 1878 p. 203 sqq. —

[2]) cf. M. Hechfellner, Über eine Innsbrucker Vergilhandschrift, Innsbruck 1880. — cf. Emil Glaser, Philol. Rundsch. I p. 376 sqq., Paul Deuticke, Jahresb. des Philol. Vereins VIII p. 115 (Zeitschrift f. Gymn. 1882): „Übrigens erklärt der Verfasser selbst, dass alle nur in diesem Codex sich findenden Varianten für die Kritik ziemlich gleichgültig sein dürften.“ —

[3]) cf. A. J. Vitringa, De codice Aeneidos, qui in bibliotheca publica Daventriensi adservatur, Daventriae 1881. —

[4]) L. l. p. IV. sqq. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed *fremunt* hoc loco aptum non est, nam *fremere* est aut mussitantium pressaque voce loquentium aut indignantium aut laudantium. Ipse locus verborumque contextus satis declarat verbum *fremendi*, quae est eius vis et natura, hoc loco ferri non posse. Quae cum ita sint, mihi persuadere non possum, *fremunt* esse veram lectionem, et *ferunt* haud dubie retinendum est. Accedit, quod vocabulum *ferendi* sescentis locis apud Vergilium est eadem vi qua verbum dicendi.

Eadem est ratio aliarum multarum huius codicis lectionum, quas probare non possum, una excepta quae est Aen. XII 208

cum semel in silvis *vivo* de stirpe recisum e. qu. s.,

quae lectio non solum mihi, sed etiam H. Genthio[1]) et P. Deutickio[2]) probatur.

Sed satis dictum est de hoc codice, qui saeculo quarto decimo vel quinto decimo scriptus deteriorum codicum numerum auxit et cuius lectionibus nimium tribuit *Vitringa*. Jam veniamus ad ea, quae nobis sunt proposita; induximus enim animum, quosdam locos sex posteriorum Aeneidos librorum, si fieri potest, emendare.

I.

Aen. VII. 124 sqq.

Cum te, nate, fames, ignota ad litora vectum
accisis coget dapibus consumere mensas,
tum sperare domus defessus ibique memento
prima locare manu molirique aggere tecta.

Quid sint *accisae dapes*, non facile quisquam dixerit. Non pauci viri docti existimant *accisas dapes* esse *consumptas dapes*, et sermonis contextum talem vel similem postulare sententiam, apertum est, sed fieri nullo modo potest, ut sit *accisus* idem quod *consumptus*. *Accisus* nihil aliud est nisi *attritus, adflictus, imminutus*, cf. Cic. prov. cons. 14, 34: impolitae vero res et asperae si erunt relictae, quamquam sunt accisae, tamen efferent se aliquando et ad renovandum bellum revirescent; Liv. III 10, 8: Hernici nuntiant Volscos et Aequos, etsi accisae res sint, reficere exercitus; VI 5, 12: post accisas a Camillo Volscorum res; 12, 6; VIII 11, 12 et saepius; Hor. sat. II 2, 112 sqq.:

quo magis his credas, puer hunc ego parvus Ofellum
integris opibus novi non latius usum
quam nunc accisis.

Sil. It. II 391 sqq.:

atque ea dum profugae regnis agitantur Elissae,
accisis velox populis, quis aegra lababat
ambiguo sub Marte fides, praedaque gravatus
ad muros Poenus revocaverat arma Sagunti.

---

[1]) cf. H. Genthe in Bursians Jahresber. 1885 p. 200 sqq. —
[2]) cf. P. Deuticke, Jahresber. des Philol. Vereins XI p. 240. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Id. VIII 588 sqq.:

vos etiam accisae desolataeque virorum
Eridani gentes, nullo attendente deorum
votis tunc vestris casura ruistis in arma.

cf. Oudend. et Herzog. ad Hirt. Bell. Gall. VIII 31.

Quibus ex locis satis adparet alias esse *accisas dapes*, alias *consumptas dapes*. Cur C. Schaper *accisas dapes* velit esse „*kärgliches Mahl*", equidem non video. Exhibent autem codices[1]) haec: *acceſſiſ* γ[1], $\overset{a}{occiſiſ}$ (*a* add. man. alt.) b, *AMBESIS* R, ceteri *ancisis* vel *accisis*. Mirum est ad hunc diem omnes neglexisse lectionem, quae est in R. *Ambedere* (i. e. *consumere*) legimus Aen. V. 752:

ipsi transtra novant flammisque ambesa reponunt
robora navigiis;

Tac. ab exc. D. A. XV 5: exorta vis locustarum ambederat quidquid herbidum aut frondosum; Plaut. merc. 238 sqq.:

dicit capram, quam dederam seruandam sibi,
suae dotem uxoris ambadedisse. Oppido
mihi illud uideri mirum, ut una illaec capra
uxoris dotem simiae ambadederit.

Quae cum ita sint, non alienum videtur esse hoc quoque loco *ambesis* scribere pro *accisis*, cum praesertim codex Romanus haud dubie in melioribus codicibus ponendus sit.

II.

Aen. VII 443 sqq.

cura tibi divum effigies et templa tueri,
bella viri pacemque gerant, quis bella gerenda.

Sic vulgo legitur, nisi quod pro *gerant* nonnulli editores scribunt *gerent*; *gerant* M, *gerent* FRγbcς[2]), *gerunt* ς habent. Lectionem *gerant* hoc loco aptiorem esse quam *gerent*, probatur locis, qui sunt Ovid. Her. XVI 254:

bella gerant fortes : tu Pari, semper ama;

Her. XIII 82:

bella gerant alii : Protesilaus amet;

Metam. XII 469 sqq.

columque
i, cape cum calathis et stamina pollice torque:
bella relinque viris;

---

[1]) Brevitatis causa eadem codicum significatione qua O. Ribbeck usus sum.
[2]) Littera ς significavi codices deteriores vel omnes vel complures vel nonnnullos.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Claud. in Eutrop. I 273 sqq.:

tu potes alterius studiis haerere Minervae,
tu telas, non tela pati . . . . . .
bella relinque viris.

Verba *quis bella gerenda* post *bella viri pacemque gerant* adeo ieiuna et arida sunt, ut credam hunc versum a poeta imperfectum esse relictum et verba *quis bella gerenda* addita esse a librario, cui hoc loco ante oculos versatum est Homericum illud[1])

πόλεμος δ'ἄνδρεσσι μελήσει.

Verba *quis bella gerenda* iure ac merito C. A. Heumanno fuisse suspecta, Forbiger a. h. l. testis est.

III.

Aen. VII. 624 sqq.

pars pedes ire parat campis, pars arduus altis
pulverulentus equis furit; omnes arma requirunt.

Locus corruptissimus est. Versus 624—627 O. Ribbeck, quem secuti sunt Ladewig, Forbiger, Benoist, transposuit post v. 367[2]) ratus eos huc translatos esse librariorum errore, qui a vocabulo *signum* in fine versus 637 aberraverint ad vocabulum *signa* in versus 628 principio. Qua transpositione, quam cum C. Schapero, qui hos versus in priorem locum restituit, non probo, nihil proficitur, quia mendum, quod sine dubio inest in v. 624, ea re non sublatum est. Hofman-Peerlkamp duas proposuit emendationes:

hic pedes ire parat: campis ille arduus altis
pulverulentus equis furit.

vel

pars pedes ire parat; campis pars altus apertis
pulverulentus eques furit.

Concedendum est „utramque propositam mutationem vulgatis longe esse meliorem", sed nemo non concedet Peerlkampi mutationes longius iusto recedere a scripturae vestigiis et repugnare praeceptis artis criticae. Minus audax est Gentii[3]) mutatio, qui scribi vult

pars pedes ire parat; campis pars ardua latis
pulverulentus eques furit.

Mutando autem vel emendando locum sanari posse equidem non adducor ut credam; credo potius versus 623—628 omnino tollendos esse, cum nemo possit intellegere, quid his versibus significetur, nisi audacia inaudita in emendando loco utare. Quibus versibus eiectis facilis et expedita existit oratio:

tum regina deum caelo delapsa morantes
impulit ipsa manu portas et cardine verso

[1]) Il. VI 492. —
[2]) cf. O. Ribbeck, Lect. Verg. p. 7 sq. —
[3]) cf. Gent, Annot. crit. p. 43. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Belli ferratos rumpit Saturnia postes.
quinque adeo magnae positis incudibus urbes
tela novant, Atina potens Tiburque superbum,
Ardea Crustumerique et turrigerae Antemnae.

IV.

Aen. VIII 345 sqq.

Nec non et sacri monstrat nemus Argileti
testaturque locum et letum docet hospitis Argi.

Miror viris doctis excepto Peerlkampio, qui v. 346, cum glossam sapiat, abesse malit, in suspicionem non venisse hunc versum. Quid hoc loco sit *testaturque* nescio. Wagner Servium secutus interpretatur: „monstrat locum, quo tamquam ad testimonium vocato crimen laesi iuris hospitalis a sua domo removeat.“ His similia sentiunt Thiel et Ladewig-Schaper.

Sed mihi persuadere non possum, hanc vel similem significationem inesse in vocabulo *testatur;* vox sine dubio est corrupta. Eam ob rem scripserim

ostenditque locum,

quamquam non ignoro mutationem esse audacem.

V.

Aen. VIII 374 sqq.

dum bello Argolici vastabant Pergama reges
debita casurasque inimicis ignibus arces,
non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
artis opisque tuae e. qu. s.

Verba *vastabant Pergama* orationis elegantia carere et hoc loco parum apta esse intellexerunt Schrader et Hofman-Peerlkamp, atque horum virorum sequor iudicium, improbo mutationes, quas proposuerunt. Ille enim legi vult *quassabant*, hic *quatiebant*, adferens locos qui sunt Aen. IX 607 sq.:

at patiens operum parvoque adsueta iuventus
aut rastris terram domat aut quatit oppida bello;

Sil. It. XIII 36:

longo . . . quateret cum Teucria bello
Pergama.

Equidem puto *vastabant* corruptum esse ex *vexabant*, quod malim scribere. Cf. Aen. IV 615:

bello audacis populi vexatus et armis;

Hor. carm. III 2, 4: et Parthos feroces
vexet eques metuendus hasta;

carm. IV 9, 18: non semel Ilios
vexata;

carm. IV 4, 23: impiger hostium
vexare turmas et frementem
mittere equum medios per ignes.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

VI.

Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
nulla dies umquam memori vos eximet aevo,
dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
accolet imperiumque pater Romanus habebit.

Pater Romanus aliis, ut Heynio et Gossravio, Juppiter Capitolinus videtur esse, sed quo loco is *pater Romanus* adpellatur? Wagner censet patrem Romanum hoc loco esse Augustum, „non quasi is ipse aeternum regnaturus esset, sed quod penes eius familiam perpetuum orbis Romani imperium fore augurarentur". Quam sententiam ut stabiliat, Wagner comparat Auson. Praefat. I 21:

tu modo te iussisse, pater Romane, memento,

et Hor. carm. I 2,50:

hic ames dici pater atque princeps.

Quo loco quid Wagner probare velit, non queo suspicari, nam nemo nescit morem fuisse Romanis, imperatorem patrem patriae adpellare. Alii, in quibus Niebuhr[1]), existimant patrem Romanum nihil aliud esse nisi civem Romanum, et poetam civibus Romanis voluisse blandiri. Alii rem in medio relinquunt.

Coniectura locum emendare conati sunt Hofman-Peerlkamp et Gent[2]), quorum ille legi vult

imperiumque orbis Romanus habebit,

hic pro *pater* legi vult *patens*. Ante undecim annos ego conieci scibendum esse *patrum*, quod in margine exempli Vergiliani, quo soleo uti, adscripsi. Idem suspicati sunt J. Kvíčala et G. Linker[3]).

VII.

Aen. XI 567 sqq.

non illum tectis ullae, non moenibus urbes
accepere neque ipse manus feritate dedisset:
pastorum et solis exegit montibus aevum.

Servius haec adnotavit: „non in civitatem, non in privatam admissus est domum". Qua interpretatione nihil profici ad explicandam vocem *ullae*, quae sine dubio corrupta est, in promptu est. Vere autem intellexit Servius **civitati** hoc loco oppositam esse **privatam domum**. Duo igitur viri docti, M. Axt in libro illo, qui inscribitur „Astrologie des Manetho" etc. p. 37 et Hofman-Peerlkamp *ullae* mutaverunt in *villae*, sed vere iudicat Forbiger villarum commemorationem ab illa aetate alienam esse. — Antithesis autem, quam Servius requirebat, facile restituitur, si scribas

non illum tectis **ulli,** non moenibus urbes e. qu. s.

Fieri enim non potest, ut Vergilius scripserit Metabum non ullas urbes tectis, non ullas

---

[1]) Niebuhr, Röm. Gesch. I not. 831. —
[2]) Gent l. l. p. 51. —
[3]) cf. J. Kvíčala, Neue Beiträge zur Erklärung der Aeneis. Prag 1881 p. 448. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

moenibus accepisse; nam quae urbs tectis, eadem moenibus accepit, et quae moenibus, eadem tectis. Quod cum ita sit, utraque versus pars suum requirit subiectum, quod ipsa verborum collocatio videtur postulare.

VIII.

Aen. XI 593 sqq.

post ego nube cava miserandae corpus et arma
inspoliata feram tumulo patriaeque reponam.

Quibus versibus quid potest fieri ieiunius et languidius? Diana cum Opi nympha colloquens animo providet et praesentit mortem Camillae gradientis ad crudele bellum; vult haud correptam fuisse virginem tali militia, cum sibi semper fuerit comes carissima. Quam deae orationem (v. 535 sqq.) in optimis locis totius Aeneidos numerare non dubito, sed non est credibile Vergilium egregiae orationi Dianae addidisse illos duos versus 593 et 594, quibus vis et ardor orationis Dianae mirum quantum attenuatur vel potius extinguitur. Equidem illos duos versus abesse facile patiar.

IX.

Aen. XI 741 sqq.

haec effatus equum in medios, moriturus et ipse,
concitat et Venulo adversum se turbidus infert
dereptumque ab equo dextra complectitur hostem
et gremium ante suum multa vi concitus aufert.

Tarchon hoc loco parum apte *turbidus* adpellatur. Graviter incusat Tyrrhenos „numquam dolituros“, quod tam ignavi inertesque essent, ut a femina (Camilla) in fugam coniecti sint, quod non segnes sint

in Venerem . . . nocturnaque bella.

Quae cum dixisset,

equum in medios, moriturus et ipse,
concitat et Venulo adversum se turbidus infert.

Quid sit *se turbidus infert*, nulla arte ingenioque inveneris. Itaque *fervidus* sripsi, quo verbo et indignatio et cupiditas pugnandi Tarchonis describitur. Cf. Aen. VIII 230 sqq.:

ter totum fervidus ira
lustrat Aventini montem;

Aen. IX. 735 sqq.:

tum Pandarus ingens
emicat et mortis fraternae fervidus ira
effatur e. qu. s.

Ibid. IX 71 sq.:

invadit sociosque incendia poscit ovantes
atque manum pinu flagranti fervidus implet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ibid. 349 sq.:

vomit ille animam et cum sanguine mixta
vina refert moriens, hic furto fervidus instat.

Ibid. XII 746 sqq.:

nec minus Aeneas . . . . . .
insequitur trepidique pedem pede fervidus urguet.

Ibid. 950 sq.:

hoc dicens ferrum adverso sub pectore condit
fervidus.

X.

Aen. XI 809 sqq.

ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
continuo in montes sese avius abdidit altos
occiso pastore lupus magnove iuvenco,
conscius audacis facti, caudamque remulcens
subiecit pavitantem utero silvasque petivit e. qu. s.

Verbum *pavitandi* idem esse quod *timore tremere* vel *angi*, et apud Terentium[1]) idem esse quod *febri adfectum* esse, cognoscere licet ex lexicis linguae latinae. Eandem huic verbo significationem Vergilius tribuit duobus locis, Aen. II 107:

prosequitur pavitans et ficto pectore fatur,

et VI 498:

vix adeo adgnovit pavitantem et dira tegentem
supplicia.

Hoc autem loco invenimus pavitantem caudam lupi, quod nonnulli editores defenderunt. Legimus apud Gossravium: „ipse enim pavet metumque suum indicat cauda attracta; qua re in ea ipsa metus inesse fingitur.“ His similia Thiel disputavit. Quotienscumque hunc locum legi, semper mihi offensioni fuit pavitans illa cauda, qua enim ratione cauda pavitet, non intellego. Lupus quidem pavitat, ipsa cauda nihil sentit nec timet. Itaque haud cunctanter scripsi

caudamque remulcens
subiecit pavitans utero silvasque petivit.

[1]) cf. Hecyr. 321: Vxorem Philumenam pauitare nescio quid dixerunt. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Magno casu Gustavi Linker, professoris quondam Pragensis, emendationes Vergilianas nactus sum, quas in exemplo Vergili carminum, quo uti consuerat, non paucis locis adscripsit. Quae cum, quod sciam, nec a Linkero nec ab alio in medium prolatae sint, huc transferre mihi placuit.

Bucolica.

III 48 *sed vitulam spectans.* — 109 *sed (at) quisquis amores haut metuet, dulces haut experietur honores* (!)[1]. —

V 23 *atque deos aeque.* — IX 1 *Quo te, Moeri, pedes aut quo via ducit? in urbem?*[2])

Georgica.

II 169 *Decios magnos — Decios Mures — Deciosque mares.*[3]) — 476, 498, 499 uncis circumscripti. — IV 25 *rabidus.* —

Aeneis.

I 99 *aequus ubi*[4]). — 237 *pollicitu's*[5]). — 421 *magalia quondam*[6]) unc. inclus. — 445 *facile invictam.* — 458 unc. inclus. — 607—608 unc. inclus.[7]) — 711 unc. inclus.[8]) —

II 37 *subiectisve.*[9]) — 49 *sic* (vel *sua*) *dona ferentes.* — 250 *et* del. — 255 del. — 263 *prudensque Machaon.*[10]) — 307 *stupet anxius.*[11]) — 498 *fremens cumulo.* — 560 — 563 unc. inclus. — 564 *quae sit mi rerum copia* (!) — 567 *iamque ad eos rediturus eram* (!). — 576 *scelerum iam sumere poenas* (vel *celeratas*). — 599 *ut* pro *et.* — 602 *culpandusve.* —

III 124 *pelagoque volamus* del. —

IV 230 sq. *regeret . . . . proderet* unc. inclus.[12]) — 256 *caelumque legebat.*[13]) — 257 *ad* del. — 380 *repello* (?). —

VI 96 *qua.*[14]) — 433 *consiliumque.* — 436 *aëre.* — 462 *lenta situ.* — 610 *olim* pro *soli.*[15]) — 683 *animosque.*[16]) — 809 sq. verba *nosco . . . . fundabit* unc. incl. —

---

[1]) „Locus difficillimus et impeditissimus, in quo explicando multum desudarunt viri docti.“ Forbiger. —

[2]) Hofman-Peerlkamp (Mnemos. X p. 42) an in ah mutato verba quae insequuntur quo via ducit in urbem Moeridi tribui vult. —

[3]) Idem suspicatus est Hofman-Peerlkamp. —

[4]) Non male, persuadere enim mihi non possum aequus idem hoc loco esse atque fortis. —

[5]) Mutatio non necessaria videtur esse, cf. Buc. V 4, VIII 48, 50, Aen. I 202, V 687, X 827. —

[6]) Totum versum abesse mavult Hofman-Peerlkamp. —

[7]) Idem fecerunt Hofman-Peerlkamp et Rau in sched. p. 52 sqq. —

[8]) Etiam Rau l. l. p. 56 et Ribbeck (proll. p. 67) hunc versum, quem praetermittit Servius, spurium putant; intactum reliquit Hofman-Peerlkamp. —

[9]) Eandem lectionem commendavi in Adnot. ad Verg. Aen. 1877 p. 8. sqq. —

[10]) An pronusque vel citusque? —

[11]) Sed cf. Aen. VII 381, X 249. —

[12]) Hofman-Peerlkamp putat v. 231 spurium esse, eoque eiecto v. 230 regerent legi vult et post Teucri punctum esse ponendum. —

[13]) Idem scribi vult Bentley ad Hor. carm. I 34, 5. —

[14]) Cf. Forbiger a. h. l. —

[15]) Idem coniecit Gent l. l. p. 35, Hofman-Peerlkamp ori (i. e. auri). —

[16]) Idem suspicatus est Hofman-Peerlkamp. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

VII 444 *quis illa gerenda.* — 684 *pascis.*[1])

VIII 579 *nunc o nunc.* — 654 — 662 et 665 — 670 unc. inclus. —

IX. 449 *patrum.*[2]) — 775 —777 unc. incl. —

X 92 *me duce fraude decus Spartae expugnavit adulter* vel *me duce Tyndaridis decus expugnavit adulter;* reliquas quas addidit coniecturas, legere non potui. — 451 *tolle moras.* — 559 *ferisque,* comparans Hor. epod. XVII 11: unxere matres addictum feris alitibusque atque canibus homicidam Hectorem; Ovid. Metam. VII 185 homines volucresque ferasque solverat alta quies; Justin. I 4, 10 invenit iuxta infantem canem feminam parvulo ubera praebentem et a feris alitibusqe defendentem.[3]) — 670 *unde abii, quae me fuga quorve reducit?* i. e. quā tandem fuga aut cur reducor in eum locum, unde abii? — 722 *pannis.* —

XI 234 *consilium.* — 460 *consilium.* —

XII 162 sqq. verba *curru . . . . specimen* unc. inclus. — 232 unc. inclus. — 252 *invertunt clamore fugam.*[4]) — 352 verba *neque . . . . Achillis* suspecta. — 805 *deformare modo et*[5]). —

---

[1]) Invenitur in nonullis ς; praeferunt Bentley et Hofman-Peerlkamp; cf. Wagneri adnot. ad Aen. II 56. —

[2]) Sed cf. J. Kvíčala, Neue Beiträge etc. p. 448: „Soeben teilt mir jedoch Professor Linker mit, dass er es jetzt vorziehe, pater Romanus beizubehalten und zu erklären **„ein römischer Herrscher“.** Ich halte dennoch patrum für richtig.“ —

[3]) K. F. Heinrichium coniecisse ferisque Forbiger a. h. l. est testis. —

[4]) Hofman-Peerlkamp mavult praevertunt.

[5]) Non intellego, quid sibi velit Linker, nam deformare domum recte se habet, ut admonet Heyne, sc. luctu, maxime ex Amatae suspendio (v. supra 603), quocum squalor et deformitas coniuncta. Deformem dolorem Lucanus dixit VIII 81, et deformis aegrimonia ex Horat. epod. VIII 18 nota.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf